



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Vt nulli liceat de ecclesia, in qua ordinatus est, ad aliam se transferre; & de translatione eius qui per vim eiectus est sine culpa. Capvt LXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

& a familia domus suæ, qui sit etiam vir probus; & hunc præficiat xenodochio, qui in eo faciat lectos, & quæcumque infirmis & pauperibus opus sunt. Quod si bona xenodochii non sufficiant, debet colligere omni tempore, & ex omnibus Christianis prouisionem secundum vniuscuiusque vires; atque his facultatibus sustentet fratres peregrinos, & pauperes, & infirmos, vt cuique opus erit: siquidem ipse est protector eorum ad adiuuandum eos, & eis diligenter prouidendum; quia in hoc opere est remissio peccatorum, solutio iniquitatis, & appropinquatio ad Deum. & hic Canon est sine excommunicatione.

De collocando episcopo aut archiepiscopo in sua sede post ordinationem, qua dicitur inthronizatio.

CAPVT LXXI.

Cum archiepiscopus episcopum ordinauerit, oportet vt mittat episcopum cum eo, qui illum introducat in ciuitatem & in ecclesiam, & faciat sedere primo die in throno: & postquam tribus mensibus in ciuitate sua resederit, debet archiepiscopus cum visitat, salutare eum, & committere archiepiscopæ, id est, archipresbytero, & archidiacono, vt eum in statutis episcopatus examinent: & si repererint didicisse eum omnia perfecte, confirmabitur in episcopatu, & in statutis eius. Sic etiam facere debent patriarchæ suis archiepiscopis. & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.

Vt nulli liceat de ecclesia, in qua ordinatus est, ad aliam se transferre, & de translatione eius qui per vim eiectus est sine culpa.

CAPVT LXXII.

Nullus episcopus ab episcopatu minore ciuitatis

ANNO
CHRISTI
325.

& territorii, vbi ordinatus est, ad alterum propter
 caritatem annonæ, aut propter paruitatem ciuita-
 tis, aut paucitatem populi, & paucitatem monaste-
 riorum transeat. idem requiritur in maiore, quia
 non conuenit hoc, siquidem vnusquisque sortem
 habet a Deo; nam & hoc statutum est maritis. Qui-
 cumque enim laicus vxorem suam repudiat, exce-
 pta causa fornicationis, mœchatur, quia hoc facit,
 vt eam altera meliore mutet. Sic sunt episcopi, &
 sacerdotes, si ciuitates suas, & altaria pro aliis ma-
 ioribus relinquunt. idcirco hanc prauam consuetu-
 dinem prohibuimus & rescäuimus. Quod si epi-
 scopus propter causam aliquam e ciuitate sua expul-
 sus fuerit, non debet quærere alium locum, vt ad
 eum transeat, quia per vim eiectus est; & tunc o-
 portet constituere eum in alia ciuitate, si tamen
 perspectum fuerit esse eum mundum, & sine cri-
 mine, iustum, ac fidelem, & aliqua culpa eius non
 extiterit causa expulsionis. Quod si primus locus
 erat paruus, & cognitum fuerit esse eum dignum
 archiepiscopatu, creandus est archiepiscopus in ea
 ciuitate quæ archiepiscopo indigeat. Quod si mu-
 tatur iste ad maiorem episcopatum, nihil obstat,
 quia non propter desiderium suum, sed propter
 necessitatem translatus est. Similiter presbyteros,
 & diaconos per castella & vicos non oportet re-
 linquere altaria sua, & transferre se ad alia, sed ma-
 nere vbi sunt ordinati, nisi de licentia chorepisco-
 pi ex causa iusta, & ad profectum vitæ & fidei.
 quod si sponte sua hoc fecerint ob aliquam cau-
 sam ex supradictis, non licebit hoc illis, quin po-

Ant. ca. 22.
Chalc. 5.
12. 20.
Sard. 15.

tius mouendi sunt gradu suo qui hoc commiserint, & non est admittenda eorum excusatio. Et hic Canon caret excommunicatione.

Differt hic Canon a superiore 13. quod ille prohibet, ne quis patiatur eligi se ab ecclesia, acquiescens electioni, vt ecclesia sua relicta, in qua ordinatus est, ad illam a qua electus est, transeat; & ne det operam, vt ab eo in cuius potestate est, transferatur. hic vero prohibet simpliciter, ne quis sua voluntate a sua ecclesia ad aliam, quæ ei magis placet, transeat.

De non eligendo sacerdote a laicis per castella & pagos sine auctoritate chorepiscopi; nec abbate per monasteria; & de non præcipiendo, vt aliquis eligatur post mortem suam; & quando hoc liceat superiori.

CAPVT LXXIII.

Vt non audeant laici qui sunt in pagis, eligere sibi sacerdotem, neque monachi superiorem, sine auctoritate chorepiscopi. Quod si aliquis superior dum viuit, præcipiat vt aliquis post mortem suam loco suo succedat, non succedet iste, si sit nationis suæ, aut consanguineus; succedet tamen si sit quispiam ex filiis prædecessoris, propter vtilitatem, probitatem, sanctitatem, continentiam, & timorem Dei, vt omnes sint mundi a vitiis. Et hic Canon caret excommunicatione.

Differt hic Canon a superiore 49. quod ille prohibet ne episcopus dum viuit, eligat successorem; hic prohibet ne designet qui eligatur post mortem, si consanguineus aut nationis suæ sit, ne suspicio esse possit, quod affectioni hoc tribuat, & non meritis.

De habitatione sororum, viduarum, & diaconissarum in monasterio retinenda, & de ratione docendi eas, & de electione diaconissarum, & officio atque v su earum.

CAPVT LXXIV.

Vt monasteria non relinquuntur sine sororibus, inter quas erunt mulieres viduæ; & constituatur illis probus magister, qui doceat eas legere libros & psal-